Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



dedit manibus et colli nuda protexit. Dedit pulmentum
et panes quos coxerat tradidit. Quibus illatis dixit. Pater
mi. At ille respondit. Audio. Quis es tu fili mi. Dixit que
iacob. Ego sum esau primogenitus tuus. Feci sicut precepisti
mihi. Surge sede et comede de uenacione mea ut benedicat
mihi anima tua. Rursum ysaac ad filium suum quomodo inquit tam ci
to inuenire potuisti fili mi. Qui respondit. Voluntas dei
fuit ut cito mihi occurreret quod uolebat. Dixit que ysaac. Ac
cede huc ut tangam te fili mi ut probem utrum tu sis filius
meus esau an non. Accessit ille ad patrem. Et palpato eo di
xit ysaac. Vox quidem uox iacob est sed manus manus sunt
esau. Et non cognouit eum quia pylose manus similitudinem ma
ioris expresserant. Benedixens ergo illi ait. Tu es filius meus esau.
Respondit. Ego sum. At ille affer michi inquit cibos
de uenacione tua fili mi ut benedicat tibi anima mea.
Quos cum oblatos comedisset obtulit ei etiam unum.
Quo hausto dixit ad eum. Accede ad me et da mihi osculum
fili mi. Accessit et osculatus est eum. Statim que ut sensit
flestimentorum illius flagranciam benedicens ait. Ecce odor
filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit dominus. Det tibi
deus de rore celi et de pinguedine terre habundanciam fru
mentum uini et olei et seruiant tibi populi et adorent te tribus.
Esto dominus fratrum tuorum et incuruentur ante te filii matris tue.
Qui maledixerit tibi maledictus erit et qui benedixerit tibi
benedictionibus repleatur. Vix ysaac sermonem imple
uerat et egresso iacob foras. uenit esau coctos que de ue
nacione cibos intulit pater dicens. Surge pater mi.
et comede de uenacione filii tui ut benedicat michi

179